

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 185. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415583987392/facsimile.pdf> (tilgået 29. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

error ratione traductionum · quibus passim vtimur inductus ab  
hominum mentibus · falso iam vulgari more persuasis, funditus  
auelleretur, neque vllas vltius haberet · falsa persuasio latebras ·  
Et quamuis propositum nostrum fuerit hoc ostendere · de vsitata  
5 traductione · epistolarum beatissimi Pauli, quod et fecimus, do-  
lentes tamen quod ita esset, et non potius traductionem Hierony-  
mi haberemus : qui volet etiam eosdem commentarios sancti doc-  
toris ecclesie Hieronymi diligenter aduertere · super hunc passum  
Et emundaret sibi populum acceptabilem · ca: 2<sup>o</sup> epistole ad Ti-  
10 tum (alios passus aliorum commentariorum eius in alios sancte  
scripture libros : quorum esset testis multiplex, et copia diues,  
breuitatis rationem habens relinquo) plane intelliget ex eodem ·  
non modo epistolarum Pauli · sed nec euangeliorum traductio-  
nem qua nunc vtuntur ecclesie, esse Hieronymianam, Vnde ma-  
15 gis dolendum est : tantos ac tam claros beatissimi viri et sanctis-  
simi doctoris ecclesie labores, quos ipse ad publicam omnium, et  
piorum et studiosorum vtilitatem insumperat periisse, si omnino  
et nobis et posteris [39 b] periire, Quod si ita sit, et quempiam  
de posteris Christus dominus lux vera, et sola vera et indeficiens  
20 illuminet ad ea restituenda, que nobis periire, olim restituta : non  
inuidia non maleuolentia, aliqua insecundus erit, Sed in eo (quis-  
quis is demum fuerit) gracia Christi honoranda. Quem solum  
omnis honor decet omnis gloria et graciaram actio, in omnia, et  
super omnia, seculorum secula · Amen ·

25 Excerpta ex commentariis beati Hieronymj quibus  
manifeste conuincitur Vulgatam editionem epistola-  
rum Pauli qua nunc ecclesia vtitur non esse ipsius  
Hieronymj

In primo enim commentariorum epistole Pauli ad Galathas  
30 libro, vbi in epistola .ca. 2. secundum Vulgatam editionem legitur  
Et contuli cum illis euangelium quod predico in gentibus. Sic in-  
quit sacer Hieronymus Quod supra latinus interpres acquieui dix-  
erat · in eo loco vbi scriptum est, continuo non acquieui carni et  
35 sanguini in presenti loco · contuli magisquam acquieui interpre-  
tatus est.

Et in primo commentariorum epistole ad Ephesios vbi in epistola ca. 1. legitur Qui est pignus hereditatis nostre [40 a] in redemptionem acquisitionis, Pignus (inquit diuus Hiero:) latinus interpretres pro arrabone posuit, non idipsum autem arrabo quod pignus sonat. Ecce igitur quomodo latinum citat interpretrem, non vt de se sed de alio loquens. 5

Et quamquam citare latinum interpretrem solet nunquam quin ipsum reprehendat, et edicionem qua passim vtimur, quibusdam tamen in locis id facere cognoscitur apertius, Vt in 2<sup>o</sup> commentariorum eiusdem epistole ad Galathas vbi capite [quinto] legimus 10 Euacuati estis a Christo qui in lege iustificaminj, a gracia excidistis, Hic enim (ait sacer Hieronymus) non vt in latino, male interpretatum est, euacuati estis a Christo. Sed a Christi opere cessastis, magis intelligitur Et in 3<sup>o</sup> commentariorum eiusdem epistole vbi paulo post eodem capite quinto, ita in vulgata editio- 15 ne legimus, Modicum fermentum totam massam corrumpit, Ait idem Hieronymus male in nostris codicibus habetur Modicum fermentum totam massam corrumpit, et sensum potius interpretres suum, quam verba apostoli transtulit, Et in epistola ad Titum vbi capite primo legimus Sed hospitem benignum prudentem sobri- 20 um Ait rursus Hieronymus, latinus interpretres verbi ambiguitate deceptus, pro pudico prudentem transtulit Ecce quomodo et interpretrem et edicionem, aperte sugillat et arguit Quis igitur hanc dixerit, nisi mentis rationisque inops [40 b] Hieronymi esse tralationem? numquid se ipse reprehendit et se aliter et inepte quidem, 25 cum probe in greco habeatur traduxisse dicit? Verum si quis accurate aspicere velit comperiet eum in tribus commentariorum libris, epistole ad Galathas latinum interpretrem et nostram vulgatum edicionem, notatam vnde vigesies, si etiam non plures, In primo commentariorum ad Ephesios Duodecies, In 2<sup>o</sup> quinquies, In 30 3<sup>o</sup> octies, In commentariis epistole ad Titum et Philemonem, frequenter Quare satisfactum puto sufficienter suspicionj eorum, qua nos damnassent quasi ausos ad translationem Hieronymj, nostram ex greco nouam adiecisse intelligentiam, et non solum adiecisse, sed et frequenter in examinationibus taxasse tanquam parum 35 iuste interpretatam

[Blad 41-42 ubeskrevne]

[43 a] Subiectis scripture testimoniis ostenditur fidei  
virtus contra eos qui nimis operibus tribuunt

- Gracia enim estis saluati per fidem et hoc non ex vobis Dei  
enim donum est non ex operibus vt ne quis glorietur Ipsius enim  
5 sumus factura : creati in Christo Jesu in operibus bonis, que pre-  
parauit deus vt in illis ambulemus. Ad ephe .2<sup>o</sup>.
- Credidit Abraham deo et reputatum est illi ad iusticiam Ei au-  
tem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed  
10 secundum debitum, Ei vero qui non operatur Credenti autem in  
eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iusticiam secun-  
dum propositum gratie dei . Ad Roma-  
nos .4<sup>to</sup>.
- Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt hij sunt filij Abrahe, pro-  
uidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes deus prenun-  
tiauit Abrahe, quia benedicentur in te omnes gentes . Igitur qui  
15 ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham . Quicumque enim  
ex operibus legis sunt sub maledicto sunt. Et infra. Quoniam au-  
tem in lege nemo iustificatur apud deum manifestum est quia *iustus ex fide uiuit* Abachuc 2<sup>o</sup>
- [43 b] Nos enim spiritu ex fide spem iusticie expectamus . nam in  
20 Christo Jesu neque circumcisio quicquam ualet neque preputium  
sed fides per dilectionem operans Ad Gala .v.
- Non solum autem hoc Sed et Rebecca ex vno conceperat Isaac  
patre nostro : nondum enim natis pueris, cum neque boni quic-  
piam fecissent neque mali, vt secundum electionem propositum  
25 dei maneret, Non ex operibus sed ex vocante dictum est . Maior  
seruiet minori Sicut scriptum est Iacob dilexi, Esau autem odio  
habui,  
Quid igitur dicemus? Quod gentes que non sectabantur iusticiam, ibidem  
apprehenderunt iusticiam, iusticiam autem eam que est ex fide
- 30 Contra Israhel qui sectabatur legem iusticie ad legem iusticie non  
peruenit, propter quid? Quia non ex fide, sed tanquam ex operi-  
bus legis  
Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt Ad Ro .x.  
Nam ignorantes dei iusticiam, et propriam iusticiam querentes ibidem
- 35 constituere, iusticie dei non fuerunt subditi nam perfectio legis  
Christus ad iustificationem omni credenti  
Ceterum que ex fide est iusticia, ea sic loquitur Ne dixeris in ibidem  
corde tuo quis ascendet in celum : illic multa vide .

- Joannis .6. d ¶ Hoc est opus dei vt credatis in eum quem misit ille .  
Luce .7. [44 a] Commendat dominus centurionis fidem dicens, Ne in Israel  
quidem tantam fidem inuenj  
ibidem Ad Magdalenam dixit Fides tua te saluam fecit vade cum pace .  
Luce .8. Dixit ad discipulos timentes obortam in mari tempestatem cum 5  
iam cessasset, Vbi est fides vestra?  
ibidem Ad mulierem que passa fuerat sanguinis profluuium Confide filia  
fides tua te seruauit vade cum pace .  
ibidem Ad patrem defuncte puelle, Noli timere crede tantum et salua erit,  
Luce 17 Dicunt apostoli domino Adauge nobis fidem, Dixit autem domi- 10  
nus si habueritis fidem sicut granum sinapis, dixissetis huic arbori  
sycamino, eradicare et transplantare in mare . et obedisset vobis.  
ibidem Ad decimum leprosum mundatum dixit dominus, Surge vade fides  
tua te seruauit,  
Luce 18 dicit Iesus Verum tamen filius hominis cum venerit an reperturus 15  
est fidem in terra,  
ibidem Dixit ceco, Quid tibi vis faciam At ille dixit domine vt visum re-  
cipiam Et Iesus dixit ei Recipito visum, fides tua te saluum red-  
didit, et confestim visum recepit,  
Romano- [44 b] Arbitramur hominem iustificari per fidem, absque operibus 20  
rum 3<sup>o</sup> legis,  
ibidem Vbi igitur gloriatio, Exclusa est, per quam legem, Operum, Non,  
imo per legem fidei,  
Ad Roma- Iustificati igitur ex fide pacem habemus erga deum per dominum  
nos .v. nostrum Iesum Christum, per quem et contigit nobis ut fide per- 25  
duceremur in gratiam hanc,

[Resten af Siden tom, herefter udskaaet et Blad,  
Blad 45 ubeskrevet]

[46 a] Fidei virtus ex veteri testamento

- Gen. 15 b Credidit Abraham deo et reputatum est illi ad iusticiam  
Exodi 14 g Timuitque populus dominum, et crediderunt domino et Mosi seruo  
eius 3<sup>o</sup>  
1. Para : 5. c Exaudiuit eos dominus eo quod credidissent in eum,  
2. Para . 16. c Quos cum domino credidisses tradidit in manu tua